DE RELIGIONIS ET SUPERSTITIONIS NATURA ET RATIONE.

COMMENTATIONIS HISTORICAE ET THEOLOGICAE PARS PRIMA

QUAM

EX AUCTORITATE S. V. THEOLOGORUM EVANG. ORDINIS

IN ACADEMIA VRATISLAVIENSI

PRO LOCO IN EODEM ORDINE RITE OBTINENDO

D. XXVIII. M. OCTOBR. A. MDCCCXXXIV. H. X.

IN AULA MINORE

PUBLICE DEFENDET

AUGUSTUS HAHN

PHILOS. ET THEOLOG. DR. HUJUSQUE P. P. O. DESIGN., BORUSS. REGI A CONSILIIS IN SACRO SILESIAE SENATU, SOCIETATT. TEUTON., REGIOM. ET LIPS., HISTORICO-THEOL. LIPS. ALIARUMQUE SODALIS

SOCIO AD RESPONDENDUM ASSUMTO

CAROLO SEHMISCH

REV. MIN. CANDIDATO.

ADVERSARIORUM PARTES SUSTINEBUNT

HENRICUS JULIUS ALT

VRATISLAVIENSIS, THEOL. EVANG. STUD. ET SEMIN. THEOL. SOD.

ET

FRIEDRICUS AUGUSTUS ENGEL

HALBAVIA SILESIUS EIDEM SEMINARIO ADSCRIPTUS.

VRATISLAVIAE

TYPIS OFFICINAE GRASSIANAE BARTHIANAE ET SOC.

1834

VIRO ILLUSTRI

LITERARUM CUM DIVINARUM TUM HUMANARUM

AMICO ET PATRONO

ERNESTO FRIEDRICO GUILIELMO ROTHE

BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTERIORIBUS ET SECTIONIS
IN REGIMINE VRATISLAVIENSI MODERATORI, ORDINIS
AQUILAE RUBRAE EQUITI REL.

H U N C   L I B E L L U M

TAMQUAM GRATI ANIMI TESTEM ET AMICITIAE PIGNUS

SACRUM ESSE VOLUIT

A U C T O R.

DE RELIGIONIS ET SUPERSTITIONIS NATURA ET RATIONE.

COMMENTATIO HISTORICA ET THEOLOGICA.

Omnium, quae his temporibus de religionis et theologiae vera natura aguntur, controversiarum cardo in eo fere vertitur, ut fidei pietatique alii nimium alii parum tribui conquerantur, ut hi saeculi *ἀπιστίαν* veraeque religionis defectum, illi contra pronam credendi cupiditatem foedamque superstitionem impugnent. Neque tamen secus actum est omni fere tempore, quo, quae majorum auctoritate sancita erant, obsolescere coeperant, nova vero, quae nonnullorum studiis sensim fuerant suffecta, neque judicio peritiorum satis erant probata, neque desideriis populi satisfaciebant. Talibus, quibus novus rerum ordo nascitur, temporibus existere solent alii, qui antiquitatis patrocinium suscipiant, alii, qui, quum majorum instituta et praecepta ab hujus aetatis genio abhorrere putent, omnia studeant novare, ut antiquatis patrum, male scilicet credulorum, legibus nova novae aetati sit religio. Neque vero deesse solent, qui, quamvis pugnae nequeant sese subtrahere in re tam gravi, medium tamen colligant agmen, quippe qui neutra cum parte facere omnino neque possint neque velint, persuasum sibi habentes, veram quidem religionem esse immutabilem, variam vero

ejus cognitionem et expositionem, varios, quibus exerceatur et probetur, modos, formasque pietatis etiam sincerae ubivis locorum et temporum non easdem. Omnis itaque omnium partium his de rebus disceptatio versatur in describenda verae religionis et superstitionis indole et utriusque notione definienda, quum qui sapiunt omnes ab antiquissimis inde temporibus religionem tueri velint, repudient vero superstitionem. Sed quae sit religio vera et quae recte vocetur superstitio, ambigunt, et adeo quidem, ut ne de prima quidem horum vocabulorum, quae in omnium ore sunt, significatione inter viros doctos convenerit, quantumvis jam a Ciceronis inde temporibus de ea sit quaesitum et disputatum.

Nunc quidem non id agimus, ut tantam litem omnino componere conemur, qui ipsi in mediis partibus sumus constituti, neque credimus, rem tantam una disputatione confici posse; hoc tamen agimus, ut, quae vera religionis et superstitionis sit notio et natura quaeque inter utramque intercedat ratio, intelligi possit. Et hoc quidem ita studebimus efficere, ut lectores constituantur in magno doctorum omnium fere temporum consilio et, quae singulorum fuerit sententia, cognoscant atque intelligant, id quod saepissime historia magistra docuit, in maxima temporum, gentium et partium discrepantia esse aliquam concordiam, scil. esse aliquid, de quo inter omnes convenerit, et id quidem, quod ad religionem et superstitionem attinet, ipsis nominibus significari.

Erit autem commentatio nostra tripartita, ita ut primum quaeramus, quae r e l i g i o n i s sit notio primitiva, quaeque inde significationes natae sint usuque Romanis maxime receptae, ita tamen, ut Graecos quoque Romanorum magistros haud negligamus; deinde eadem via s u p e r s t i t i o n i s origines et historiam pervestigemus, denique vero videamus, quae sit utriusque conjunctio et dissimilitudo, si non solum grammaticae et historicae, sed omnes omnino rationes, cum externae tum internae, inprimis autem biblicae juste ponderentur.

PARS PRIMA.

De religionis natura ex sententia Veterum, inprimis Romanorum.

§ 1.

Religio, quatenus tribuitur alicui homini, vitae dici poterit ratio numinis cognitioni qualicunque consentanea. Commune omnis religionis principium est conscientia necessitudinis, quae inter numen atque hominem ejusque fata intercedit. Quum autem variae sint conscientiae illius excitandae causae, variam esse religionis ex uno fonte originem recte plurimi docuerunt.

Eadem religionis notio valuit etiam inter Romanos, quibus multae gentes nobiscum hoc vocabulum debent. Fuit enim necessitudo, qua cives cognitis agnitisque diis colendis obstricti erant, eaque praeter nativum rerum divinarum sensum legibus moribusque definita, ita ut, qui cultum negligerent, impietatis accusarentur, superstitionis contra, qui novos, sive peregrinos sive commentitios, deos vel ritus eorum colendorum adsciscerent[1].

---

1) Eorum, qui ante nos subtiliter his de rebus quaesiverunt, consulendi sunt prae ceteris Corn. van Bynkershoek, diss. *de cultu religionis peregrinae ap. Veteres Romanos* in *Opp. Omn.* (ed. *Phil. Vicat.* Tomi II. fol. Colon. Allobr. MDCCLXI.) Tom. I. p. 341—357. cll. *Observationes juris Rom.* l. VI. c. V. in eod. Tomo p. 171 sq. — Chr. Aug. Crusius *de dissimilitudine inter Religionem et Superstitionem* dissertatt. 6. Lips. 1751. 1755. 1766. 4°. —

§ 2.

Et illam quidem religionis notionem obtinuisse, non solum usus nominis frequentissimus legesque Veterum ad rem divinam pertinentes docent, sed sponte etiam ex ipsa vocabuli radice nata ea esse videtur, id quod plurimi explicatione ejus indicarunt, nonnulli etiam diserte dixerunt. Ut enim praetereamus Massurii Sabini, cui pauci adstipulati sunt, sententiam, qui teste nec improbante Gellio[2], in *commentariis*, quos *de indigenis* composuit, „religiosum esse" dixit, „quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis sit: verbum a *relinquendo* dictum, tanquam caerimoniae a carendo" —, ad unum fere omnes in eo consenserunt, ut religionis nomen aut a *relegendo* s. *religendo* aut a *religando* derivandum esse statuerint. Et his quidem temporibus post alios bene multos inprimis Paulus et Nitzschius, VV. s. VV., ll. cc. cum Cicerone (de N. D. II, 28.[3]) a *relegendo* nomen repetierunt, reprobata Lactantii notatione, qui Ciceronis sententia repudiata maluit a *religando* religionem derivare (Institutt. div. IV, 28.[4]). —

Der Denkglaubige — v. Dr. Paulus I. B. 1. Abth. Heidelb. 1825. 8°. p. 44 sqq. et Dr. Imman. Nitzsch: *Über den Religionsbegriff der Alten* in den Theolog. Studien und Kritiken, herausg. v. Ullmann u. Umbreit. Tom. I. fasc. 1. et 2. inpr. p. 532 sqq. et 732 sqq.

2) Noctt. Att. IV, 9. cf. Macrobius, qui Saturnal. conviviorum l. III, 3. Servio Sulpicio eandem sententiam eademque verba tribuit, quae Gellius Massurio Sabino.

3) „Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separarunt. Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati; quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tanquam relegerent, religiosi dicti sunt ex *relegendo*, ut elegantes ex eligendo itemque ex diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes; his enim verbis omnibus inest vis legendi eadem, quae in religioso. Ita factum est [in superstitioso et religioso] alterum vitii nomen, alterum laudis."

4) „Hac conditione gignimur, ut generanti nos Deo justa et debita obsequia praebeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis *obstricti Deo* et *religati* sumus, unde

Quemadmodum igitur, Cicerone interprete, *relegere* est diligenter retractare (iterum iterumque tractare), quae pertineant ad cultum deorum, ita eundem sequentes dicunt, **religionem** esse „diligentiam sive studium singulare, cautionem non temere agendi et credendi, sine qua vera religio esse non possit, curam denique et caerimoniam deorum" [5].

---

ipsa religio nomen accepit, non, ut Cicero interpretatus est, a *relegendo*, qui in libro de N. D. II. ita dixit: „Non enim philosophi solum — — laudis." Haec interpretatio quam inepta sit, ex re ipsa licet noscere. Nam si in iisdem diis colendis et superstitio et religio versatur, exigua vel potius nulla distantia est. Quid enim mihi afferet causae, cur precari pro salute filiorum semel religiosi, et idem decies facere superstitiosi esse hominis arbitretur? Si enim semel facere optimum est, quanto magis saepius? — — Si superstites filios subinde optare vitiosum est, superstitiosus igitur est et ille, qui etiam raro id optaverit. Aut cur vitii nomen sit ex eo tractum, quo nihil honestius, nihil justius optari potest? Nam quod ait, religiosos a relegendo appellatos, qui retractent ea diligenter, quae ad cultum deorum pertineant, cur ergo illi, qui saepe hoc in die faciant, religiosorum nomen amittant, cum multo utique diligentius ex assiduitate ipsa relegant ea, quibus dii coluntur? Quid ergo est? Nimirum religio **veri cultus** est, superstitio **falsi**. Et omnino **quid** colas interest, non **quemadmodum** (?) colas, aut quid precere. Sed quia deorum cultores religiosos se putant, cum sint superstitiosi, nec religionem possunt a superstitione discernere, nec significantiam nominum exprimere. Diximus, **nomen religionis a vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi deus religaverit et pietate constrinxerit**, quia servire nos ei ut domino et obsequi ut patri necesse est. Melius ergo **Lucretius** id nomen interpretatus est [de R. N. I, 931 et IV, 7.], quia ait, *religionum se nodos exsolvere.*" —

5) Cf. inprimis **Nitzschius**, qui l. l. expositis, quibus ad repudiandam Lactantii originationem permoveretur, rationibus de ipsa vocis notione haec addidit p. 538 sq.: „Hierzu kommt endlich die vollkommene Angemessenheit des Begriffs **Nachlesen**, **Nachdenken** zur Bezeichnung dessen, was Religion in der Subjectivität, zumal im Sinne der Alten, insonderheit der Römer, immer zuerst ist. Einmal gilt für alle Sprachen, daſs das Generische statt des Speciellen gesagt wird, sobald das Letztere die virtuose Erscheinung des Ersteren ist. Das Religiöse ist immer das Höchste von Thätigkeiten, Zuständen, Verhältnissen. Daher *operari, facere,* *ῥέζειν*, פעל, עבד, *λειτουργία, ὁδός, ἔθος, εὐχαριστεῖν, εὐλογεῖν* u. s. w. ihre besonderen Bedeutungen erhalten. Zuweilen sondert sich die

Neque negamus, hanc notationem et cum usu vocis conciliari posse et legibus grammaticis de formandis vocabulis respondere. Etenim eadem lege e radice verborum tertiae conjugationis ortae sunt *capio*, *deliquio*, *excidio*, *legio* et *regio* formaeque cognatae: *accendium*, *alloquium*, *anteludium*, *aucupium*,

---

religiöse Art von einer Gattung durch gewisse verlängernde oder andere Formen, wie beten von bitten, ab. Was aber *relegere* und *religio* anlangt, so ist treffend vom Hrn. Dr. Paulus a. a. O. [p. 49. sq.] unser Deutsches Andacht [„Gottandacht, Gottandächtigkeit"] als Analogie aufgestellt worden. Unmittelbar dürfen *observantia*, Respect, Achtung, *ἐπιγινώσκειν* 1 Cor. 16, 18. verglichen werden, weil auch in allen diesen Worten die Vorstellung vom fleiſsigen Wahrnehmen in den Begriff der Verehrung und ausgezeichneten Werthhaltung übergeht. Ob nun die dem Namen der Religion ursprünglich zum Grunde liegende Vorstellung mehr das wiederholte Lesen einer Urkunde, eines Gesetzes, oder mehr das Zurückgehen und Rücksichtnehmen auf Wichtiges und Wesentliches überhaupt befaſste, mag unbestimmbar bleiben. Im ersten Falle würden die Denkzeddel der Juden ein Symbol der Grundvorstellung hergeben. Daſs aber die Römische Sprache vorzugsweise diese Bezeichnung der Frömmigkeit wählte, war durch die Römische Denkart bedingt. Wo hat man mehr, als zu Rom und von Rom aus, die Frömmigkeit als bürgerliche Pflicht und als Wahrnehmung des Gesetzlichen behandelt? Es ist wahr, das ganze Alterthum theilt gewissermaſsen mit Rom diesen Begriff der gesetzlichen Gottesverehrung und läſst sich von ihm in der Sitten- und Staatslehre und in den öffentlichen Verhältnissen leiten. Plato selbst hat die Rücksicht auf die eingeführte Religion wenigstens eben so heilig gehalten, als die Rücksicht auf die Kriterien der Wahrheit und Sittlichkeit; aber eine so bestimmte und beharrliche Ausscheidung der *religio civilis*, wie sie selbst der Römischen Toleranz gegen fremde *sacra* allenthalben zum Grunde liegt, wird auswärts nicht angetroffen. Religiosi, sagt Festus, dicuntur, qui faciendarum praetermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis dilectum habent, nec se superstitionibus inplicant. Dieser Begriff stimmt mit dem der Orthodoxie oder dessen, was kanonisch, katholisch ist, in sofern überein, als ihm nicht bloſs das Heterodoxe, Apokryphische, Häretische, sondern auch der Mysticismus, Pietismus etc. entgegengesetzt zu werden pflegt. Und nichts ist dieser Römischen ursprünglichen Vorstellung von Religion entsprechender, als die Römische Bezeichnung des Aberglaubens mit *superstitio*, welche ganz in Gemäſsheit der wahrscheinlichen Origination von Hrn. D. Paulus für die zusätzliche Religion gehalten wird."

beneficium et al. Quod si vero viri doctissimi cum sociis haud paucis Lactantii originationem ita impugnarunt, ut rationes grammaticas et historicas ei omnino adversari contenderint, neutiquam assentiri iis possum et miror, ipsis nostris temporibus illam opinionem invaluisse et Nitzschium quoque antiquitatis peritissimum eam tueri judiciumque censoris anonymi probare potuisse, qui de sententia Lactantii conclamatum esse eamque tandem e rebus controversis eximendam nuper contenderat[6]. Liceat igitur hac opportunitate oblata rationes virorum doctorum, qui cum Cicerone faciunt, examini subjicere, quo hoc effectum iri speramus, ut intelligatur, iisdem, si non gravioribus, rationibus Lactantii originationem posse probari, rem igitur, nisi jam in ejus sententiam transeatur, adhuc esse controversam et disputabilem.

§ 3.

Et Nitzschius quidem quatuor utitur rationibus ad probandam Ciceronis originationem et refutandam eam,

6) L. c. p. 532: „Mit Recht erinnert der Rec. der Schrift: „Religion der Bibel" in Röhrs Predigerbibl., man solle doch endlich und insonderheit nach der von Paulus im „Denkgläubigen" S. 50 ff. angestellten Erörterung der Sache aufhören, zwischen der ciceronischen und lactanzischen Herleitung des Wortes Religion zu wählen, vielmehr anerkennen, daſs nur die erstere philologische Möglichkeit und historische Beglaubigung habe. Wir fügen hinzu, daſs auch in Wegscheiders Institutt. theol. chr. dogm. ed. 5. p. 2. die Thatsachen hinreichend vorliegen, welche die erforderte Entscheidung begründen. Nur ist nicht klar, wie Herr D. Wegscheider die Vorstellungen von *legere* und *ligare* in *colligere* vereinigt finde, denn von diesem letztern unterscheidet sich ja wieder *colligare* ebenso, wie die einfachen Verben verschieden sind." Recte tamen doctissimus Wegscheiderus verba *legere* et *ligare* cum compositis *relegere* et *religare* e communi stipite derivasse videtur; coeunt enim, non quidem in verbo *colligere*, sed in voce *lex* (legs), cui est notio primitiva jungendi, quippe qua ligantur sive obligantur hominum animi; quemadmodum unum est stemma formarum *suspicere* et *suspicare* s. *suspicari* (unde *suspicio* forma simillima nascitur judice s. V. Ammonio in Summa Theol. § 1. not. c.), quibus addere licebit *plicare* et (*plecere* ex *πλέκειν*, unde) *plectere*, cujus radix conspicua esse videtur in nominibus multi*plex* et aliis, uti au*spex* indicat principium vv. auspicari, auspicium all.

quam Lactantius ei opposuit. Illam enim primum dicit convenire cum legibus etymologicis, Lactantianam contra ab iis abhorrere; etenim a radice *religare* non potuisse oriri nisi *religantiam*, *religatum* et *religationem*, quum nomina a verbis primae conjugationis orta, quibus sit vis activa, tantummodo nata sint e formis participialibus, verborum vero tertiae conjugationis aliam esse rationem, ex quorum quippe ipsa radice nomina nascantur, uti v. c. *legimen* et *legio*, *regimen* et *regio*; neque posse opponi *litigium*, *jurgium*, *mancipium*, *suspicionem*, quasi nata sint e verbis *litigare*, *jurgare*, *mancipare*, *suspicare*, quum radices sint *litem agere*, *litigere*; *jure agere*, *jurgere*; *manu capere*, *mancipere*; *suspecere* [7]. Et ita quidem post alios judicarunt etiam Paulus [8] et Wegscheiderus, qui l. c. allegavit Cic. de Senect. c. 15., quo probaret, a *religando* non religionem nomen accepisse, sed *religationem*.

---

7) L. c. p. 534.: „Bei einer Wurzel, wie *lego*, laufen die abgeleiteten Nomina, zumal wenn deren so viele und verschiedenartige sind, nicht alle durch die beiden Participialformen, welches der Fall ist, wenn sie wie *legentia*, *lectus*, *lectio* lauten, sondern sie können sich auch, wie *legimen*, *legio* (von rego *regio* und *regimen*) unmittelbarer erzeugen. Und dafür [nicht für die Ableitung des Wortes *religio*] war Varro [de L. L. V. p. 68. ed. Bip.] anzuführen. Also auch kommt von *relego* nicht blofs *relegens*, *relegentia*, *relectio*, sondern auch *relegio*. Den Übergang des *e* in *i* beweisen *diligens*, *negligens*. Es ist schon oft bemerkt worden, dafs dagegen von *religare* *religantia*, *religatus*, *religatio* zu erwarten wäre, weil in der ersten Conjugation eine solche Umgehung der Participialform nicht stattfindet, sobald eine Thätigkeit ausgedrückt werden soll. Und in der That man darf nicht *litigium*, *jurgium*, *mancipium*, *suspicio* entgegenstellen“ rel. v. supra.

8) L. c. p. 50.: „Anderswoher kann vom uneingenommenen Sprachkenner *Religio* nicht abgeleitet werden, als von *relegere*, wie *legio* von *legere*“ — et p. 55 sq.: „Und diefs [ein immer wieder und wieder über die sinnlich-geistige Erfahrungswelt des Erdenmenschen hinausstrebendes Denken] ist die im ächt lateinischen Sprachgebrauch schon vor dem Christenthum am meisten gewöhnlich gewordene Wortbedeutung, laut der bekannten, von Lactanz sprachwidrig angefochtenen, Erklärung Cicero's de N. D.“ Quibus subjecit notam: „Aus *religare* konnte nur *religatio* werden, nie *religio*.“

Sed pace virorum eruditissimorum dixerim, parum haec usu veterum confirmari. Quemadmodum enim e verbis tertiae conjugationis voces variae ortae sunt, exeuntes in syllabas *io*, *ium*, *ies*, *imen*, *imentum* aliasque, ita etiam variae formae non solum e participiis verborum primae conjugationis, sed ex ipsa quoque radice ortae sunt, v. c. non solum *respiratio* et *respiratus*, sed etiam *respiramen*, *respiramentum*, *respirium* (uti *suspirium*), neque solum *opinatio* et *opinatus* leguntur, sed etiam *opinio* et *opinamentum*, *testamen* et *testamentum*, *ligamen*, *ligamentum*, *ligius*, *ligium*, *religamen*. Non igitur leges grammaticas negliget, qui cum Lactantio velit *religionem* et *religationem* a verbo *religare* derivare, quemadmodum a verbo *legere* non solum *legio* orta est, sed etiam *lectio*. Quodsi vero Nitzschius, quem pie colo doctorem et amicum probatissimum, praeter exempla ambigua, quae attulit (*litigium*, *jurgium*, rel.), desideret certa, habeat *aestimium*, *desiderium*, *imperium*, *insicium* et *insicia*, *prosicium*, *prosiciae*, *prosicies*, *latrocinium*, *lenocinium*, *nuncius*, *nuncia* —, *opprobrium*, *opprobramentum* (= *opprobratio*), *patrocinium*, *ratiocinium*, *repurgium*, *tubilustrium*, *vituperium*, alia.

§ 4.

Accedere vero dicit Nitzschius aliam rationem, qua Ciceronis originatio comprobetur, secundum quam syllaba praefixa *re* (ἀνὰ) non sit otiosa, sicuti esse videatur, si religio derivetur a *religando*[9]. — Sed ne haec quidem satis recte disputata esse videntur. Etenim *religare* proprie significat alligando sive colligando restringere, constringere, retinere, coercere v. c. vites declinantes vel luxuriantes alligare ad palum (uti Cicero de Senect. c. 15. de *vitium religatione* scripsit), *ratem*, *navem*, *classem litore religare*,

---

9) L. c. p. 535.: „Dazu kommt, daſs das Re (ἀνὰ) in *relegere* nach der ciceronischen Auslegung wesentlich zur Erzeugung des Begriffs mitwirkt, während dieſs bei *religare* nicht der Fall ist. Die Vorstellung des Verbindens, Verpflichtens wird wenigstens eben so gut, wenn nicht besser, durch *obligare*, *alligare jurejurando*, *religione* (bei Plautus, Cicero, Gellius) ausgedrückt.“

ne tempestate jactetur et abripiatur, uti apud Livium, Caesarem aliosque legitur. Ita etiam Columella de Re Rust. XII, 44.: „Quidam, inquit, ut a granatis incipiam, pediculos punicorum, sicuti sunt, in arbore intorquent, ne pluviis mala rumpantur et hiantia dispereant, *eaque ad majores ramos religant, ut immota permaneant*" — quae verba paulo post ita interpretatur: „atque ita *majoribus ramis illigant, ne*, ut dixi, *vento commoveantur.*" Ita etiam Livius narrat, Numam Pompilium, qui civitatem religione munivit, „quum omnium circa finitimorum societate ac foederibus junxisset animos, positis externorum periculorum curis, *ne luxuriarentur otio animi*, quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat, omnium primum, rem ad multitudinem imperitam et illis seculis rudem efficacissimam, *deorum metum injiciendum ratum esse*"[10]. Qui igitur omnis fere inter Romanos religionis auctor esse dicitur, hominum animos, ne luxuriarentur, vinculo pietatis diis obstrinxit, religavit igitur, quemadmodum palmites s. vites *luxuriantes* religantur palis. Ideo etiam Tacitus Annal. III, 26. apposite scripsit, „Numam *religionibus* et divino jure *populum devinxisse.*" Et re vera omnis religio est ratio sive necessitudo, qua homines cum numine continentur, ita ut animi leves moneantur et coerceantur, effrenati refrenentur, cujus quippe vel conscientia vel legibus sancitis eorumque administris admonentur. Ubi igitur negligentia numinis justi atque officiorum vel locum habuerat vel timenda et cavenda erat, veluti in militibus, sacramento videbantur obstringendi et obligandi animi, et hoc ipsum sacramentum aliave obligatio, v. c. votum, vocabatur *religio*, cf. Liv. II, 32. V, 23. 25. et saep. Est igitur vocis usus consentaneus primitivae verbi *religare* significationi, quippe quae est arctius ligare, alligare, colligare et deligare res mobiles, ne devergant, deflectant, ventorum impetu commoveantur et dispereant. Et sunt sane hominum animi mobiles nec raro leves officiorumque suorum immemores et negligentes, ita ut cujusvis hominis naturae lege orti religio vocari etiam possit, si syllabam praefixam

---

10) Liv. I, 19.

re velimus urgere, uti Paulus et Nitzschius fecerunt, continua reminiscentia necessitudinis cum numine vel iterata obligatio et consecratio sive propter beneficia, quae quotidie contingunt, sive propter res adversas divinae justitiae nuntias et indices. Neutiquam igitur syllaba ista *re* otiosa est, si religionem cum religatione ab uno stipite velimus derivare, non magis certe otiosa, quam in ipsa voce religationis et in aliis innumeris.

§ 5.

Gravius esse videtur tertium, quo Nitzschius ad refutandam Lactantii notationem usus est, argumentum, quo etiam uti solent omnes, qui non in sola Ciceronis auctoritate acquiescunt. Quemadmodum enim *legio* et *regio* (ipse supra § 2. exemplorum numerum auxi additis: *capio*, *deliquio*, *exscidio* cum cognatis) natae sint e radicibus verborum tertiae conjugationis, ita contendunt, nullum exstare *ἀναλογίας* exemplum, quo vocis ejusdem formae ortus *a verbis primae conjugationis* possit probari. Etenim quam ex Varrone attulerit Desid. Heraldus (ad Arnob. adv. Gentes IV, 31.) *postulionem*, non esse eodem loco habendam, quo postulatio, id quod Salmasius, Scaliger aliique cum Heraldo putaverint, sed esse masculinum, quemadmodum sint *stellio*, *pugio*, *papilio*, et vocari ita piaculum humanum scil. civem fortissimum, quem dii Manes postulaverint [11].

---

11) L. l. p. 536 sq.: „Wichtiger scheint, was Herald hinzusetzt: *ut enim a postulo fit postulio, sic a religo religio.* Denn wird *postulio* mit Salmasius, Scaliger u. a. für *postulatio* genommen, so giebt es allerdings eine sonst fehlende (?) Analogie für den Uebergang von *religatio* in *religio* oder für die etymologische Einheit beider Worte. Und dieses Beweises hat sich denn auch Hr. D. Baumgarten-Crusius in d. Einl. in d. Stud. der Dogm. 1820. S. 3. bedient. Ich meines Theils mufs zweifeln, dafs *postulio* bisher richtig erklärt sey. Die einzige Stelle, wo es die gewisse Lesart ist, oder wenigstens die älteste, lautet b. Varro de L. L. IV. p. 41. Bip. so: A Procilio relatum, in eo loco dehisse terram et ex senatus consulto ad haruspices relatum, esse responsum, Deum Manium postulionem postulare i. e.

Vereor autem, ne vir praeclarus h. l. probabilitatis omnis limites transiluerit studio sententiam contrariam impugnandi. Etenim si quis nulla occupatus opinione praesumta accesserit ad Varronis locum de L. L. IV., vix aliter interpretabitur, ac Salmasius, Scaliger, Gutherius et e recentioribus Orellius ad Arnob. l. c. editorque Varronis Odofr. Müllerus aliique, qui intellexerunt *postulationem* sive Dei sive Deorum Manium, scilicet, *ut mitteretur civis fortissimus.* Locus Varronis ex editione novis-

---

civem fortissimum eo mitti. Scaliger freilich läfst willkührlich das *id est* weg und sagt geradehin, *postulio* sey *postulatio* und der Inhalt derselben *missio civis fortissimi.* Auf besserer Spur ist der von Orelli angeführte Gutherius *de jure Man.* lib. IV., welcher zwischen *postulatio* und *postulio* unterscheidend bemerkt, letzteres sey die Forderung der unterirdischen Götter, welche allein auch Menschen zur Sühne verlangten. Womit denn Plutarch (Quaest. Rom. 83.) sehr übereinstimmt, wenn er die Inconsequenz der Römer, welche einmal den Barbaren (den Bletonesiern) Menschenopfer darzubringen verwehrten und dann sie doch selbst in einigen Fällen darbrachten, dadurch zu beseitigen sucht, dafs sie es allerdings unter sehr schweren Versühnungsumständen mit den Dämonen anders gehalten hätten, als mit den Göttern. Indessen bleibt doch nach Gutherius *postulio,* wie es scheint, eine *postulatio,* wiewohl im besondern Sinne. Ich gehe weiter; ich halte das *i. e. civem fortissimum eo mitti,* für unmittelbare Erklärung von *postulio.* Ich halte dieses Wort für ein Masculinum wie *stellio, pugio, papilio,* für die Bezeichnung des menschlichen, persönlichen *piaculum,* das die unterirdische Gottheit fordert. Thue ich diess mit Recht, dann scheint die Analogie, die Herald beabsichtigt, nicht mehr statt zu finden. Sie würde jedoch, auch wenn sie bestünde, nichts entscheiden." — At vero, quaeso, si *postulio* ejusdem generis et originis est cum *postulatione,* quod ad hunc usque diem Philologi fere omnes acceperunt, adest desideratae illius *ἀναλογίας* exemplum et quidem gravissimum, a Varrone e priscis monimentis memoriae proditum. Quodsi igitur non possit e medio tolli (id quod videbimus), nemo amplius ausit dicere, *leges grammaticas* violare eos, qui *religionem* perinde ac *religationem* a v. *religare* derivent, quum *postulio* cum *postulatione* orta sit a verbo *postulare.* Ceterum verum est, quod Vir s. V. haud dubie sibi vult, quaeri posse ab iis, qui hoc largiantur, utrum quod universe per leges nominum e verbis derivandorum liceat, hoc loco recte fiat.

sima C. Odofr. Mülleri (Lips. 1833. 8.) p. 57 sq. ita legitur: „In foro *lacum Curtium* a Curtio dictum constat et de eo triceps historia; nam et Procilius non idem prodidit, quod Piso, nec quod is, Cornelius [vulg. C. Ael. Stilo] secutus. A Procilio relatum, in eo loco dehisse terram et id ex S. C. ad aruspices relatum esse: responsum, Deum Manium *postilionem* [vulg. *postulionem*] *postulare* id [vulg. id est], civem fortissimum eo demitti. Tum quendam Curtium civem armatum adscendisse in equum et a Concordia versum cum equo eo praecipitatum; eo facto locum coisse atque ejus corpus divinitus humasse ac reliquisse genti suae monumentum.“

Müllerus celeberrimus duabus notis subjectis vulgarem loci explicationem, quatenus ad nostram quaestionem pertinet, tuetur, quamvis discedat in singulis. Ad vocem *postilio* notavit haec: „*postilionem* codd. *postulionem* vulg. Illud retinui, cum inter *postilionem* et *postulo* eadem sit ratio atque inter *consilium* et *consulo*. Caeterum *postilio* nomen ejusdem formae est ac *pignoris capio* et similia.“ Ex ejus igitur sententia *postilio* eadem lege descendit a *postulo*, qua *capio* a radice tertiae conjugationis, mutata vocali perinde ac in aliis vocabulis derivatis, velut in *consilium*, quod est a *consulo*. Nomen autem verbale *postilio* v. *postulio* eodem sensu accepit quo *postulationem* et verba quidem: *Deum Manium postilionem postulare id, civem fortissimum eo demitti* ita interpretatus est: *id* a., *id est* cett., quo sensus pervertitur. Deus Manium hanc postilionem postulat, ut civis fortissimus demittatur. Accusativus objecti *id* componitur cum accusativo nominis verbalis (*postilionem*). Quae quidem structura, Graecis usitata, apud Romanos rarissima est. *id est* delet Scaliger, quem alio loco secutus eram“ [12]. Certum igitur est, virum doctissimum quoque de origine et nativa vi vocis *postulio* (quam formam nomen derivatum usu induit cum verbo) haud secus

---

12) Ex emendatione Scaligeri locus habet ita: „Ad haruspices relatum: esse responsum, Deûm Manium postulionem postulare, civem fortissimum eo demitti.“

sentire ac reliquos interpretes. — Etsi vero per grammaticas leges licet a verbis primae conjugationis nomina generis masculini in syllabam *io* exeuntia derivare (veluti *optio* in re militari appellatus est is, quem decurio aut centurio sibi optavit, *mirio*, qui omnia miratur, fortassis etiam *curio* (et curius), i. e. vel curiosus vel curis confectus, macilentus, et si qua sunt alia, quae jam non suppetunt, exempla [13]); non tamen potest negari, *postulionem* s. *postilionem* l. l. esse eandem, quae a Cicerone *postulatio* (secundum plures editiones *postulio*) et ab Arnobio etiam *postulio* dicitur, et ita quidem, ut appareat, nunc esse voluntatis divinae significationem, veluti *portentum*, nunc id ipsum, quod divinitus postuletur, nimirum *genus sacrificiorum*, non tamen solam viri victimam piacularem. Et Cicero quidem, commemorato prodigio et haruspicum responso in *orat. de harusp. responsis* c. 10. haec habet: „Quis est ex gigantibus illis, quos poetae ferunt bellum diis immortalibus intulisse, tam impius, qui hoc tam novo tantoque motu non magnum aliquid Deos populo Romano praemonstrare et praecinere fateatur? De ea re scriptum est, *postulationes* esse Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri, Diis coelestibus. Audio, *quibus diis violatis expiatio debeatur*, sed, *hominum quae ob delicta*, quaero. *Ludos minus diligenter factos, pollutosque* [respondent haruspices]. Quos ludos?“ rel. Docet deinde Matris magnae fuisse ludos, quos iste, de quo sermo est, strepitus reconditus cum horribili armorum fremitu in agro propinquo et suburbano exauditus, nuntiaverit minus diligenter factos eosdemque pollutos fuisse. Vix erit qui dubitet, *postulationem* h. l. esse prodigium, quo Dii aliquid irae suae averruncandae causa fieri postulasse putati sint (göttliche Anforderung: Forderung einer Sühne durch irgend ein Zeichen). — Esse autem *postulationem* etiam rem postulatam (uti nos quoque Anforderung passive dicimus) i. e. apud Romanos ipsam expiationem s. sacrificium piaculare

---

13) Quorum nunc memini: *turbo, erro, epulo, helluo, verbero* sunt quidem formae similis, neque vero ejusdem, atque *histrio* aeque alienum ab h. l. esse videtur ac, quae Nitzschius attulit, *stellio, pugio, papilio,* nisi quis de *stellione* secus statuat.

a diis expetitum, extra dubitationem ponitur loco simili c. 14.: „Movet me etiam in hac caritate annonae, sterilitate agrorum, inopia frugum, religio Telluris, et eo magis, quod eodem ostento Telluri *postulatio* deberi dicitur" i. e. haud dubie *expiatio*, uti supra ipse Cicero interpretatus est. — Haec egregie concinunt cum verbis Procilii apud Varronem: „*Deum Manium postulionem postulare id*, civem fortissimum eo demitti." Postulationem deberi, cum terra hisceret, hoc quidem Senatus si non sciebat, certe suspicabatur, sed quaenam expiatio deberetur quum nesciret ideoque ex ejus consulto ad haruspices esset relatum, hi, qui noverant portentorum (ut ipse Cicero l. l. c. 9. dicit) explanationes, quas Etruscorum disciplina contineri putarunt, respondisse dicuntur, Deum Manium hanc postulionem postulare, ut civis fortissimus demitteretur in terram hiscentem. Ita fere Barn. Brissonius quoque explicuit *de Formulis et solennibus Populi Romani verbis* (ed. J. Aug. Bachii, Francof. et Lips. 1754. fol.) l. I. p. 215. et Graevius ad Cic. orat. de Harusp. Resp. c. 10., qui etiam fictum esse, quod Gutherius fecerit (cf. not. 11.), inter *postulionem* et *postulationem* discrimen monet, provocans non solum ad Ciceronis locum, sed ad veteres quoque glossas, quibus *postulio* (antiquius vocabulum, cujus usus remanserit tantum in sacris) exponatur: *postulatio*.

Hinc etiam scribere potuit Arnobius adv. Gent. l. IV, 31.: „In caerimoniis vestris rebusque divinis *postulionibus* locus est et piaculi dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiae lapsum, aut in verbo quispiam, aut sympuvio deerraverit, aut si cursu in solennibus ludis curriculisque divinis commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut si patrimus ille, qui vocitatur, puer omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit: et audetis abnuere in delictis tam gravibus violari semper a vobis Deos, cum in levioribus causis irasci eos ipsi cum pernicie saepius confiteamini civitatis?" Ita etiam fulmina duplici forma sed eodem sensu dicta sunt *postularia* et *postulatoria*. *Postularia* enim *fulmina* a *Festo* (ed. Dacerii p. 27.) dicuntur,

quae votorum aut sacrificiorum spretam religionem designant (al. desiderant): quasi postulent, vota aut sacrificia instaurari; cf. Cic. de Harusp. responsis c. 11. [14]. Eadem vero *postulatoria* vocat *Seneca* Natural. Quaestt. II, 49.: „Nunc, inquit, nomina fulminum, quae a Caecinna ponuntur, perstringam et, quid de his sentiam, exponam. Ait esse *postulatoria*, quibus sacrificia intermissa aut non rite facta repetuntur; *monitoria*, quibus docetur, quid cavendum sit; *pestifera*, quae mortem exitiumque portendunt; *fallacia*, quae per speciem alicujus boni nocent" rel.

His igitur probasse nobis videmur, vulgarem vocis *postulio* derivationem et explicationem, qua ei cum *postulatione* eadem est origo et vis, satis esse firmatam recteque his formis collatas esse *religionem* et *religationem*. Sed si vel hac ἀναλογίᾳ essemus destituti, reliquae tamen essent aliae formae similes haud dubitabiles. Descendit enim *optio* (i. q. electio) perinde ac *optatio* ab optando, *adoptio* ab adoptando, *opinio* cum *opinatione* et cognatis ab opinando. Haec exempla certa sunt. De *internecione* et *suspicione* potest ambigi, quamvis uti *insicium* et *insicia* ab insicando s. insecando, et *prosicium*, *prosicias* et *prosiciem* a prosecando s. prosicando, *temperiem* a temperando, ita etiam *perniciem* a *pernecando* et *internecionem* s. *internicionem* derivare licebit ab internecando; non enim possum facere cum iis, qui putarunt, *internecionem* ortam esse ex *internectione*, elisa litera *t*.

Neutiquam igitur, quae hucusque a viris doctis ad Nitzschium usque desiderata sunt, exempla ἀναλογίας desunt, quibus demonstrari possit, religionem eodem jure a *religando* derivari posse atque a *relegendo* et secundum

---

14) „An si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit — —, aut si Aedilis verbo aut simpulo aberravit, ludi sunt non rite facti eaque errata expiantur et mentes Deorum immortalium ludorum instauratione placantur: si ludi ab laetitia ad metum traducti sunt, si non intermissi, sed peremti atque sublati sunt — —: dubitabimus, quos ille fremitus nuntiet ludos esse pollutos?"

primitivam vocis notionem esse necessitudinem, qua homo numini colendo sit obstrictus.

§ 6.

Sed historia sive usu hanc derivationem et explicationem probari negant; semper, inquiunt, *religiosum eum religione* deductum fuisse a *relegendo;* id quidem testari sententiam a Gellio (Noctt. Attic. IV, 9.) servatam: *religentem esse oportet, religiosum nefas*, qua quidem φιλολόγον quemque, qua talem, permoveri, ut Ciceroni suffragetur. Et haec ultima est ratio, qua usus est V. Nitzschius [15].

Vix crediderim, multos consensuros esse, nisi agnominationem vel verborum lusum cum originatione permutare vel rem satis incertam pro certa habere velint. Nigidius sane Figulus, cui acceptam retulit illam sententiam Gellius l. l., permutationis illius postulandus esse videtur et talem egit grammaticum, quem, quamvis laudatum, ipse Gellius non potuerit non vituperare [16]. Etenim Nigidius

---

15) L. l. p. 537.: „Jeder Philolog aber, als solcher, mufs die von Gellius aufbewahrte Gnome, *religentem esse oportet, religiosum nefas*, als eine Entscheidung für die ciceronische Herleitung anerkennen. Sie giebt in dem Worte *religens*, welchem *diligens* in der Bildung und Bedeutung gleichartig ist, jenes mag nun nebst *religentia* im wirklichen Sprachgebrauche einer gewissen Zeit vorgekommen, oder nur von dem Gnomologen *ad hunc actum* gebildet worden seyn, die vollkommen sichere (?) Spur, dafs auch *religiosus* mit *religio* bekanntermaafsen von *relegere* abgeleitet wurde. Was die besondere Bedeutung anlangt, welche hier dem Worte *religiosus* zu Theil ward, so kann es um so weniger befremden, dafs ein und dasselbe Wort zu verschiedenen Zeiten und unter verschiedenen Beziehungen das allgemeine und besondere, das nothwendige und das willkührliche, das löbliche und das fehlerhafte von einer gewissen menschlichen Bestimmung und Weise anzeigt, da diess fast mit allen alterthümlichen Bezeichnungen der Frömmigkeit also gegangen ist.“

16) Verba Gellii haec sunt: „Nigidius Figulus, homo (ut ego arbitror) juxta M. Varronem doctissimus, in XI. commentariorum grammaticorum versum ex antiquo carmine refert memoria hercle dignum: *Religentem* rel. Cujus autem id carmen

religioso, quem *religenti*, quasi ab eadem origine profectum, composuit, partim significationem tribuit ab usu alienam, partim vero ita eum descripsit, ut videatur vocabulum non a *religendo*, sed a verbo *religare* (= *alligare*) derivasse; „quocirca, inquit, *religiosus* is appellabatur, qui *nimia* et superstitiosa *religione sese alligaverat*. Eaque res vitio assignabatur“ [17]. Neque ipse Gellius, quamvis deinde in Massurii Sabini sententiam (cf. § 2.) discessisse videatur, hanc impugnavit vocis explicationem, qua notio ei tribuitur e verbo *religare* orta, imo confessus est, id quod etiam Paulum non fugit [18], hanc explicationem usu eatenus probari, quatenus religiosus non exaequetur superstitioso. „Sed praeter ista, inquit, quae Nigidius dicit, alio quodam diverticulo significationis, *religiosus* pro casto atque observanti *cohibentique sese certis legibus finibusque dici coeptus*. Simili autem modo illa quoque vocabula, ab eadem profecta origine, diversum significare videntur: *religiosi dies* et *religiosa delubra*. Religiosi enim dies dicuntur

---

sit, non scribit. Atque in eodem loco Nigidius hoc, inquit, inclinamentum semper hujuscemodi verborum, ut vinosus, mulierosus, religiosus, numosus signat copiam quandam immodicam rei, super qua dicitur. Quocirca religiosus is appellabatur“ rel. v. supra, quae sequuntur.

17) Ita etiam Forcellinus verba Nigidii intellexit, commemorans, non solum Servium ad Aen. VIII, 349. et Augustinum, Retractatt. I, 13. Lactantii notationem probasse, sed „et placuisse videri Nigidio apud Gell. l. c.“

18) L. l. p. 50. not. * „An *religare* dachten wohl auch die, welche nach Gellius Noctt. Att. 4, 9. den *religiosus* beschrieben als *castus atque observans et cohibens se certis legibus finibusque*.“ Addidit tamen vir sagacissimus: „Ein Wortspiel zwischen *religio* als Andacht und *religare* als Verbindlichkeit wäre sehr gut zuzugeben, wenn der wichtige Sinn bleibt, daſs das ernste Denken an das Göttliche allerdings das Gemüth bindet.“ Quod de verborum lusu h. l. dixit Paulus, id profecto etiam transferre licebit ad istum versum, quem Nigidius memoriae prodidit, cujus auctorem, quum *γνωμολόγος* esset, *ἐτυμολόγον* jure optimo non fecisse videtur. Ceterum conferantur, quae de h. l. infra § 7. legentur.

tristi omine infames *impeditique*, in quibus et res divinas facere et rem quampiam novam exordiri temperandum est." — Deinde paucis interjectis, quae maxime pertinent ad Massurii Sabini interpretationem, redit ad Nigidium eumque vituperat, quod inclinamentum *osus* contenderit *semper* copiam quandam nimiam et immodicam signare. „Quod si, ut ait Nigidius, *omnia* istiusmodi inclinamenta nimium ac praeter modum significant et idcirco in culpas cadunt, ut vinosus, mulierosus, verbosus, morosus, famosus, cur ingeniosus et formosus et officiosus et speciosus, quae pariter ab ingenio et forma et officio inclinata sunt, cur etiam disciplinosus, consiliosus, victoriosus, quae M. Cato ita affiguravit, cur item facundiosa, quod Sempronius Asellio XIII. rerum gestarum ita scripsit: „Facta sua spectare oportere, dicta non, si minus facundiosa essent": cur, inquam, ista omnia nunquam in culpam, sed in laudem dicuntur?" — — — Huic igitur Grammatico, si vel doctissimo, parum tamen diligenti et circumspecto, non credo multum tributuros esse Philologos hujus aetatis, et suspicor, versum illum antiqui carminis male intellectum esse a Nigidio. Quum vero carmen ipsum cum auctoris nomine perierit neque igitur oratio contexta consuli possit, vix certo poterit definiri, quid auctor sibi voluerit; hoc tamen certum est, eum, si, quicquid est religiosum, nefas, ut videtur, habuit, praeter homines impios levesque neminem sibi habuisse assentientem, quum, teste Cicerone omnique antiquitate, non philosophi solum, sed majores omnes, qui „ante doctrinam Deos spernentem" [19] viverent, superstitionem a religione separarent, ita ut alterum vitii nomen esset, alterum laudis (de N. D. II, 28.).

Uni auctoris incogniti sententiae, quae, si recte fuisset a Nigidio explicita, a totius antiquitatis pietate abhorreret, multa Romanorum eloquia obstant, e quibus patet, religionis notionem, quae in plurimis iisque antiquissimis libris valeat, esse notionem *obligationis* s. *vinculi*, quo numini

19) Liv. X, 40.: „Juvenis ante doctrinam Deos spernentem natus."

rebusque sacris faciendis vel homines obstricti vel res addictae et consecratae fuerint. Et ipse quidem Lactantius l. l. provocavit ad **Lucretium**, quem ait melius nomen *religionis* interpretatum esse, quum dixerit, *religionum se nodos exsolvere* (de Nat. Rer. I, 931.[20] cll. IV, 7.). Lucretio autem constat religionem fuisse obligationem, qua homines male creduli diis se adstrictos s. alligatos sentirent, „vatum terriloquis victi dictis" (cf. I, 103 sqq.). Sed obligationis notio valet etiam apud reliquos scriptores, qui non, quemadmodum Lucretius, putarent religionem esse dissolvendam, sed qui pie eam vellent servari.

In primis commemorandus esse videtur **Livius**, qui ita religionis voce saepissime usus est, ut a *religando* eam repetiisse putandus sit, v. c. II, 32., ubi loco *sacramenti*, quo tenerentur milites, *religio* supponitur eodem sensu, quo *obligatio*, quae jurejurando facta neutiquam scelere exsolvi posset[21]. Aliis locis religio dicitur *votum*, quo v. c. milites Apollini decimam partem addixerant, quo igitur *obligati*

---

20) De consilio carminis sui componendi hos v. c. versus 926 sqq. fecit:

— — juvat integros accedere fontes
Atque haurire juvatque novos decerpere flores
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musae.
Primum, quod magnis doceo de rebus et *arctis*
Religionum animos nodis exsolvere pergo,
Deinde, quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, Musaeo contingens cuncta lepore.

De eodem consilio necessitudinem s. vincula, quibus vulgus res humanas et terrenas Deorum curioso imperio constrictas putaret, dissolvendi, ut religio, quae tantum potuerit suadere malorum, „pedibus subjecta obtereretur", prius jam Memmio suo ex Epicuri sententia scripsit v. 57 — 102.

21) „Itaque, quamquam per dictatorem delectus habitus esset, tamen, quoniam in consulum verba jurassent, sacramento teneri militem rati, per causam renovati ab Aequis belli educi ex urbe legiones jussere. Quo facto maturata est seditio. Et primo agitatum dicitur de consulum caede, ut solverentur sacramento: doctos deinde, *nullam scelere religionem exsolvi*, Sicinio quodam auctore, injussu consulum, in sacrum montem secessisse" — —.

tenebantur neque *exsolvi* poterant, nisi conferendis iis, quae ex voto debebant; cf. V, 23.[22] inpr. 25.: „Camillus identidem omnibus locis concionabatur: *Haud mirum id quidem esse, furere civitatem, quae, damnata voti, omnium rerum potiorem curam, quam religione se exsolvendi, habeat. Nihil de collatione dicere stipis verius, quam decumae; quando ea se quisque privatim obligaverit, liberatus sit populus. Enimvero, illud se tacere, suam conscientiam non pati, quod ex ea tantum praeda, quae rerum moventium sit, decuma designetur; urbis atque agri capti, quae et ipsa voto contineatur, mentionem nullam fieri.* Quum ea disceptatio, anceps senatui visa, delegata ad pontifices esset, adhibito Camillo, visum collegio, quod ejus ante conceptum votum Vejentium fuisset et post votum in potestatem populi Romani venisset, ejus partem decumam Apollini sacram esse.“ — Ita etiam IX, 8. Sp. Postumius, auctor pacis Caudinae, ad patres conscriptos haec, praeter alia, verba fecisse traditur: „Quae sententia testis erit, mihine an legionibus vestris pepercerim, *quum me* seu turpi seu necessaria *sponsione obstrinxi*, qua tamen, quando injussu populi facta est, *non tenetur* populus Romanus; nec quidquam *ex ea* praeterquam corpora nostra debentur Samnitibus. Dedamur per fetiales nudi vinctique; *exsolvamus religione* populum, *si qua obligavimus*, ne quid divini humanive obstet, quo minus justum piumque de integro ineatur bellum.“ H. l. *religio* nativam habet vim, eam, qua quis obstrictus tenetur, cohibetur, impeditur. Eadem verba eodem loco repetuntur: „*sponsione infami obligatos*“ — — „*exsolvi religione populum*“ et cap. sq. idem Postumius dixisse fertur: „Neque ego infi-

---

22) „Agi deinde de Apollinis dono coeptum. Cui se *decumam vovisse* praedae partem quum diceret Camillus, pontifices *solvendum religione populum* censerent; haud facile inibatur ratio jubendi referre praedam populum, ut ex ea *pars debita* in sacrum secerneretur. Tandem eo, quod levissimum videbatur, decursum est, ut, *qui se domumque religione exsolvere vellet*, quum sibimet ipse praedam aestimasset suam, decumae pretium partis in publicum deferret“ — —.

cias eo, Patres conscripti, tam *sponsiones*, quam *foedera sancta* esse apud eos homines, apud quos *juxta divinas religiones* fides humana colitur, sed injussu populi nego quidquam *sanciri* posse, *quod populum teneat.* — Quid tandem, si spopondissemus, urbem hanc relicturum populum Romanum? si incensurum? ... si sub regibus futurum? Dii meliora! inquis. Atqui non indignitas rerum *sponsionis vinculum levat.* Si quid est, *in quod obligari* populus possit, in omnia potest" rel. „Nos interim", ita Veturium collegam ceterosque, qui sponsione se obligaverant, dum finem orationi facit, alloquitur, „vilia haec capita *luendae sponsionis* feramus et nostro supplicio *liberemus Romana arma*" — religione scil. impedita et cohibita —. Cajus autem Pontius, imperator Samnitium, quum adducti essent ad ipsum vincti, respondit (c. 11.): „Ego vero istos, quos dedi similatis, nec accipio, nec dedi arbitror, nec moror, quo minus in civitatem *obligatam sponsione* commissa, iratis omnibus Diis, quorum eluditur numen, redeant." Atque hujusmodi perplura loca reperiuntur, e quibus, ne diutius in re vixdum dubia moremur, modo afferre liceat haec. Lib. X, 40. consul juveni „ante doctrinam Deos spernentem nato", qui altercationem inter pullarios de auspicio ejus diei ortam ad ipsum detulerat, respondisse narratur: „Tu quidem macte virtute diligentiaque esto: ceterum qui auspicio adest, si quid falsi nuntiat, *in semet ipsum religionem* recipit" i. e. obligationem s. necessitatem poenae luendae, quam quoque dii a pullario reo poposcisse illico traduntur. In capite autem sequenti, ubi atrox Romanorum et Samnitium proelium describitur, haec leguntur: „Samnitium magnam partem *necessitas* ac *religio* invitos magis resistere, quam inferre pugnam, cogit. Nec sustinuissent primum clamorem atque impetum Romanorum, per aliquot jam annos vinci assueti, ni potentior alius metus insidens pectoribus a fuga retineret. Quippe in oculis erat omnis ille occulti paratus sacri, et armati sacerdotes et promiscua hominum pecudumque strages et respersae fando nefandoque sanguine arae, et dira exsecratio — —. His vinculis fugae obstricti stabant, civem magis, quam hostem

timentes.“ Scilicet nefando sacro obstricti tenebantur, jurare coacti diro quodam carmine, in exsecrationem capitis familiaeque et stirpis composito, ni issent in proelium, quo imperatores duxissent, et, si aut ipsi ex acie fugissent aut si quem fugientem vidissent, non extemplo occidissent; cf. c. 38. 39. et XXXIX, 16. et 37.: „Id modo petierunt, ut Romani, quae viderentur, de Lacedaemoniis mutarent, nec Achaeos *religione obstringerent irrita* ea, quae jurando sanxissent, faciendi.“ Et haec quidem et alia multa leguntur apud Livium.

Sed idem ille Cicero, qui, quum Grammatici partes ageret, vocem a *relegendo* derivavit, ceteroquin vulgarem ejus usum, alius originis indicem et testem, secutus est. Etenim in ejus quoque libris leguntur formulae: *religione obstringere*, *devincire*, *obligare*, itemque *solvere*, *liberare* et quae sunt aliae. E multis libris notentur modo loci nonnulli, qui leguntur in duabus orationibus, quarum alteram *pro domo sua*, a P. Clodio publicata, eversa et Libertati consecrata s. dedicata, *ad Pontifices* habuit, alteram *de haruspicum responsis*. Pro domo c. 40. s. fin. ita alloquitur Clodium et judices: „Quae tua fuit *consecratio?* Tuleram, inquit, ut mihi liceret (consecrare) —. Jus igitur statuetis esse, unius cujusque vestrum sedes, aras, focos, Deos penates subjectos esse libidini Tribuniciae? in quem quisque per homines concitatos irruerit, quem impetu perculerit, hujus domum non solum affligere, — sed etiam in posterum tempus *religione sempiterna obligare?*“ Idem c. 48. extr. et sq.: „*Dedicatio* magnam, inquit (Clodius), habet *religionem.* Nonne vobis Numa Pompilius videtur loqui? Discite orationem, Pontifices et vos, flamines, etiam tu, rex, disce a gentili homine, quamquam ille gentem istam reliquit, sed tamen disce ab homine *religionibus* dedito, justo, tum omnium religionum perito. Quid? in dedicatione nonne et quis dicit et quid et quomodo quaeritur? An tu haec ita confundis et perturbas, ut quicunque velit, quod velit, quomodo velit, possit *dedicare?* Quis eras tu, qui dedicabas? quo jure? qua lege? quo exemplo? qua potestate? ubi te isti rei populus Romanus prae-

fecerat? Video enim esse legem veterem Tribuniciam, quae vetet, injussu plebis aedes, terram, aram *consecrare.* Neque tum hoc ille Q. Papirius, qui hanc legem rogavit, sensit, neque suspicatus est, fore periculum, ne domicilia aut possessiones indemnatorum civium consecrarentur. — Sed quia *consecrabantur aedes*, non privatorum domicilia, sed quae sacrae nominantur; *consecrabantur agri*, non ita ut nostra praedia, si quis vellet, sed ut imperator agros de hostibus captos consecraret; statuebantur arae, *quae religionem afferrent*, si loco essent consecratae: haec, nisi plebs jussisset, fieri vetuit.“ Postea vero (c. 50.), ut hoc unum testimonium addam, de signo Concordiae, quod Q. Marcius Censor fecerat et in publico collocarat, C. autem Cassius Censor in curiam transtulerat, locutus haec addidit: „Censor, penes quem majores nostri — judicium Senatus de dignitate esse voluerunt, Concordiae signum volebat in curia curiamque ei Deae dedicare. Praeclara voluntas atque omni laude digna. Praescribere enim se arbitrabatur, ut sine studiis dissensionis sententiae dicerentur, si sedem ipsam ac templum publici consilii *religione Concordiae devinxisset.*“ — Facta igitur per P. Clodium domus Ciceronis dedicatione s. consecratione numerata est ea inter „loca *sacra* et *religiosa*“ et de illarum „aedium *religione*“ sermo est, quam Cicero non sine εἰρωνείᾳ dicit se expiaturum esse, quum libenti animo portentis deorum immortalium (quibus locorum religiosorum expiationem postulare dicerentur) religionique pariturus sit, cf. de harusp. respp. c. 5., quibus c. 6. addit: „Sed quae tandem est in hac urbe tanta domus, ab ista religionis suspicione tam vacua atque pura? Quamquam vestrae domus, Patres conscripti, ceterorumque civium multo maxima ex parte sunt *liberae religione*, tamen una mea domus judiciis omnibus *liberata* in hac urbe sola est. Te enim appello, Lentule, et te, Philippe. Ex hoc haruspicum responso decrevit Senatus, ut de locis sacris, *religiosis*, ad hunc ordinem referretis. Potestisne referre de mea domo? quae, ut dixi, sola in hac urbe *omni religione* omnibus judiciis *liberata est.*“ Patet, loca *religiosa* vocata fuisse, quae

„dedicatione numini cuidam fuissent devincta“, quocirca „*libera*“ et „*liberata*“ erant, postquam religione fuerant exsoluta (cf. c. 14.). Eademque verba saepissime repetuntur eodem cap. et sqq. „Postea“, paucis verbis interjectis, „vos, inquit, Patres conscripti, — — decrevistis, ut *de mearum aedium religione* ad pontificum collegium referretur. *Quae tanta religio est, qua non* in nostris dubitationibus atque in maximis superstitionibus unius P. Servilii ac M. Luculli responso ac verbo *liberemur?* — — At vero meam (domum) *omni religione*, una mente *omnes liberaverunt.*“ Cf. pro domo c. 45.

Haec Cicero, qui his aliisque locis innumeris ita religionis nomine usus est, ut ei non relectionis s. diligentiae, sed religationis i. e. devinctionis et obligationis vim tribuerit, quem vocis usum etiam apud Lucretium Liviumque valere vidimus. Idemque valet etiam in reliquorum scriptorum libris quamplurimis. Quorum liceat modo duos appellare, supra jam commemoratos, Gellium et Tacitum. Et Gellius quidem Noctt. Att. VII, 18., ut jusjurandum apud Romanos inviolate sancteque habitum servatumque esse probaret, de decem illis captivis narrat, quos Hannibal, ut permutatio captivorum fieret, e reliquis electos Romam misit, ita tamen, ut, priusquam proficiscerentur, jurejurando adegerit redituros eos esse in castra Punica, si Romani captivos non permutarent. „Tum octo ex iis, inquit, postliminium (quo in patriam rediisse dixerant cognati) justum non esse sibi responderunt, quoniam *dejurio vincti* forent, statimque, uti jurati erant, ad Hannibalem profecti sunt. Duo reliqui Romae manserunt *solutosque* esse sese *ac liberatos religione* dicebant, quoniam, cum egressi castra hostium fuissent, commentitio consilio egressi [regressi?] eodem die, tanquam si ob aliam fortuitam causam issent, atque ita jurejurando satisfacto rursum injurati abissent. Haec eorum fraudulenta calliditas tam esse turpis aestimata est, ut contemti vulgo discerptique sint.“ Tacitus denique, cujus verba prius jam allegavimus (§ 4.), *Numam Pompilium*, a quo Romani omnem religionem

suam repetierunt, „religionibus et divino jure populum devinxisse“ dicit Annal. III, 26.

§ 7.

Reliqua est una ratio, qua post alios utitur s. V. Wegscheiderus Institutt. ed. 7. p. 2.: „Ceterum, inquit, licet in verbis istis *legendi* et *ligandi* una eademque *colligendi* notio inesse videatur (sic „*legio* a *legendo* dicitur, quod milites in delectu leguntur“: Varro de ling. Lat. IV, 16.), tamen verbum *religandi* et nomen *religationis* apud Romanos nusquam significatione quadam metaphorica sunt dicta.“ Largior. Sed ne *relegere* quidem et *religens* et *relectio* praeter eos locos, ubi de Ciceronis originatione legimus, ad religionem transferuntur. Etenim auctor versus illius, quem Nigidius servavit, teste Gellio (cf. § 6.), fecisse videtur cum Lucretio, qui, quum religionem eodem, quo superstitionem, loco haberet, *arctis religionum nodis animos exsolvere studuit.* Si quid enim video, sententiae: *religentem esse oportet*, *religiosum nefas*, ex usu loquendi prisco et communi vix poterit alia vis tribui, quam haec: providum diligentemque esse oportere, deorum vero metum esse vanum omniumque malorum fontem (cf. Lucretii de R. N. I, 57 sqq.); certe *religens* h. l. opponitur *religioso* et praeter h. l. nusquam legitur, etiam *religere* et *relectio* frustra in Romanorum libris quaesita sunt, et *relegere*, quod Cicero per „diligenter pertractare“ interpretatus est, ne uno quidem, quod sciam, loco per metaphoram ad res divinas est translatum, si discesseris ab Arnobio adv. Gent. IV, 30., ubi, ad Ciceronis originationem, ut interpretibus visus est, alludens, „illud, inquit, nobis propositum est, ut, quoniam nos impios et irreligiosos vocatis, vos contra pios et Deorum contenditis esse cultores, demonstrare [demonstremus] atque in medio ponere [ponamus], ab hominibus magis nullis ignominiosius eos tractari, quam a vobis — —. Non enim qui sollicite *relegit* et immaculatas hostias caedit, qui acervos thuris dat concremandos igni, numina consentiendus est colere, aut officia solus religionis implere. Cultus verus in pectore est atque opinatio

de diis digna" rel. Ceterum *relegere* est i. q. *rursus* s. *denuo legere* scripta, pecunias, iter, litora, mare, aquas. — Unico Arnobii loco, quem hucusque neminem indicasse vidi, licebit Lactantii, Augustini, Isidori aliorumque auctoritatem opponere, qui *religare* sensu metaphorico dixerunt, quo obligare, devincire, revincire, — et est quoque locus Ciceronis pro domo c. 47., ubi codices et editiones plures habent: „Vidimus hoc idem Cn. Lentulo Censori Tribunum plebis facere (scil. domum s. bona consecrare vel dedicare, de quo in antecedentibus sermo est). Numquid igitur is bona Lentuli *religionibus religavit?*" Recentiores editores scripserunt: *„obligavit"*, vereor, an recte, si quid valet regula, qua usitatiora minus vulgaribus posthabenda esse docemur, quum facilius creditu sit, librarios vel alios lectores loco horum illa posuisse, quam contrarium. Sed nolumus cupidius haerere in hoc testimonio, quod Philologorum examini relinquimus et commendamus, quibus aditus patet ad antiquissimos optimosque codices. Certum est, id quod Wegscheiderus de verbo *religandi* et nomine *religationis* scripsit, valere etiam de verbo *relegere* et derivatis. Quemadmodum vero hac ratione eum non ausim oppugnare, qui velit religionem a *relegendo* deducere, quod sane per leges grammaticas licet, ita etiam ea nihil efficietur contra eum, qui religionem, quod per easdem leges optimo jure potest, a *religando* malit repetere, e cujus nativa notione omnes vocis *religio* et cognatorum nominum significationes optime possunt derivari.

§ 8.

Est igitur, liceat periculum facere, religio, si cum *religatione* ejusdem est originis,

I. *actio* (deligatio s. alligatio et colligatio), *qua res mobiles et liberae continentur et impediuntur, quo minus vagentur vel luxurient* (ut palmites et vites) *vel commoveantur et, sive concussae et jactatae sive dispersae, abripiantur et pereant;* ita poma ad ramos, rates et classes litore, ita herbae desectae religari dicuntur (cf. § 4.).

Quae si est notio religionis primitiva et propria, potuit ea

II. optime transferri ad *eam rationem, qua hominum animi et omnino res humanae et terrenae cum numine continentur.*

Utque hanc voci ad res divinas translatae notionem primariam tribuamus, usus ejus ipse et quasi historia flagitat. Est quidem nominis usus varius, sed talis, ut notio primitiva nunquam prorsus periisse et exstincta esse videatur. Significat enim religio

1) *eam animorum rerumque devinctionem sive destinationem, qua numini consecrantur hominesque impediuntur, quo minus suum arbitrium sequentes sive temporis religiosi sive rei religiosae vulgarem usum faciant.* Ita religio universe dicitur v. c. Liv. VI, 1.: „Hi (tribuni militum consulari potestate) — nulla de re prius, quam de *religionibus*, senatum consuluere. In primis *foedera* ac *leges* (erant autem eae duodecim tabulae et quaedam regiae leges) conquiri, quae comparerent, jusserunt. Alia ex eis edita etiam in vulgus; quae autem ad sacra pertinebant, a pontificibus maxime, *ut religione obstrictos haberent multitudinis animos*, suppressa.“ Ita, ut vidimus, etiam Tacitus *religiones* juxta jus divinum et leges posuit, tanquam obligationes rite inductas, quibus populus teneretur. „Nobis, inquit (Ann. III, 26.), Romulus, ut libitum, imperitaverat, dein Numa religionibus et divino jure populum devinxit repertaque quaedam a Tullo et Anco, sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quîs etiam reges obtemperarunt.“ Audiendus erit etiam Gellius, qui Noctt. Att. V, 17., de diebus nefastis tradens, legem et usum discernit, ita, ut religionem dicat obligationem s. institutionem lege factam: „Pontifices decreverunt, nullum iis diebus (pridie Calendas, Nonas et Idus) sacrificium recte futurum. Ante diem quoque quartum Calendas vel Nonas vel Idus, tanquam inominalem diem, plerique vitant. Ejus observationis an *religio ulla* (verpflichtende, gesetzliche Anordnung) sit tradita, quaeri solet. Nihil super ea re scriptum inve-

nimus, nisi quod Claudius Annalium quinto cladem illam pugnae Cannensis vastissimam factam dicit ante diem quartum Nonas Sextiles.“ Atque hanc potestatem obstringendi et devinciendi *religio* habet etiam locis paene innumeris, ubi de *voto* et *jurejurando* usurpatur ita, ut, qui „religione devincti, obligati et obstricti“ sint vel „teneantur“, eadem rite „solvendi, exsolvendi s. liberandi“ dicantur. Testimonia satis nota sunt et quaedam supra allata (§ 6.): Liv. V, 23. 25. X, 38 — 41. Gell. VII, 18. cf. Cic. de legg. II, 7.: „Utiles esse autem opiniones has (de deorum judicio, numine et providentia), quis neget, quum intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quantae salutis sint *foederum religiones*, quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit“ rel.

Quare etiam, ut vidimus, solennis fuit vocis usus de *dedicatione* s. *consecratione*, qua aedes numini cuidam fuerunt addictae, ita ut rite *liberandae* essent, si quis iis vellet uti tanquam habitaculis vulgari hominum usui destinatis, v. c. Cic. pro domo c. 40 — 51. Itaque, uti loca numini consecrata s. dedicata saepe promiscue religiosa et sacra vocantur (quamquam Grammatici nonnulli discrimen aliquod tanquam inter speciem et genus constituerunt), sic *domus religiosa*, quasi religata, opponitur *liberae* et *liberatae* ab eodem Cic. de Harusp. resp. c. 16. cll. c. 6. 7. et all.

Quemadmodum vero in verbo *religare* notio alligationis et devinctionis involvit notionem *cohibitionis* et *impeditionis*, ita etiam *religio* dicitur de *impedimento* vel per homines vel divinitus objecto. Ita dies *religiosi* Gellio (Noctt. Att. IV, 9.) interprete sunt „tristi omine infames *impeditique*“ (cf. § 6.), v. c. dies Alliensis, quem idem commemorat appellato teste Cicerone (Epp. ad Att. IX, 5.), cui jungo Livium, qui VI, 1. haec addit: „Quidam, quod postridie Idus Quinctiles non litasset Sulpicius tribunus militum, neque inventa pace Deûm post diem tertium objectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie Idus rebus divinis supersederi [i. e. — ut antea legitur — „rem nullam (etiam sacram) publice privatimque agi“] jussum: inde,

ut postridie Calendas quoque ac Nonas *eadem religio* esset, traditum putant." Itaque Festus (s. v. religiosus) *dies religiosos* esse dicit, „quibus, nisi quod necesse sit, nefas habeatur facere, quales sint sex et triginta atri, qui appellentur, et Alliensis" rel. cf. Gell. V, 17. supra laud.

Hinc etiam *religiosum* saepius dictum est eodem sensu, quo prohibitum, impeditum, nefas, illicitum. Teste enim eodem Festo l. c. „*religiosum* esse Gallus Aelius ait, quod homini ita facere non liceat, ut, si id faciat, contra Deorum voluntatem videatur facere: quo in genere sunt haec: in aedem Bonae Deae virum introire: adversus mystica legem ad populum ferre: die nefasto apud praetorem lege agere." Ita apud Gellium X, 15. promiscue leguntur: „religiosum est", „religio est", „jus non est", „fas non est", „piaculum est" cf. Liv. V, 40. („ubi nunc despui religio est") et Terent. Heaut. II, 1. 16. („Hoc facere religio est") al. — Prae ceteris saepissime *sepulcrum* dicitur *religiosum*, a quo homines, certe profani, deorum voluntate arcentur. Festo enim interprete „*religiosum ac sacrum* est, ut templa omnia atque aedes, quae etiam sacratae dicuntur. At quod per se religiosum est, non utique sacrum est, ut sepulcra, quod ea non sacra, sed religiosa sunt." Provocat postea ad Gallum Aelium „inter *sacrum* et *sanctum* et *religiosum* differentias bellissime, ut dicit, referentem. *Sacrum* aedificium, consecratum Deo: *sanctum* murum, qui sit circum oppidum: *religiosum* sepulcrum, ubi mortuus sepultus aut humatus sit, satis constare ait." Fatetur tamen, eadem haud raro et sacra et sancta et religiosa haberi et dici: „si quidem, inquit, quod sacrum est, idem lege aut instituto majorum sanctum esse putant, ut violari id sine poena non possit, idem *religiosum* quoque esse, quoniam sit aliquid, *quod ibi homini facere non liceat*, quod si faciat, adversus deorum voluntatem videatur facere."

Huc etiam pertinere videntur loci sat multi, ubi *religio* dicitur de *signo* s. *prodigio*, quo numen voluntatem suam manifestasse putatum est, ut eo hominum animi tacti flecterentur,

v. c. Liv. XXVII, 25. cll. 23. XXXIX, 7. XLI, 22. et saep. Neque igitur, quod Nitzschio v. V. visum est l. l. p. 535 sq., temere Heraldus ad Arnob. adv. gentt. IV, 31. provocavit ad Plaut. Mercat. V, 2. 40., ubi Charinus, quem Eutychus de prodigio monuit [23], respondet: „*Religionem illic objecit;* recipiam me illuc [al. illico]", quibus Heraldus hanc addidit notam: „Vides hic hominem iter jam ingressum, religione tamen animo objecta quasi religatum et a suscepto itinere prohibitum." Scripsit sane Heraldus negligentius et varios vocis *religio* significatus commiscuit, hoc tamen verum est, quod dicit, hunc locum admonere notionis primitivae, quae sit religatio et quidem h. l. prohibitio, impeditio. Ipse Nitzschius religionem h. l. *omen horrorem incutiens* esse agnovit [24] recteque Heraldum vituperavit, quod hoc exemplo usus sit ad probandam religionis significationem eam, qua sit „*horror*, qui objectus nobis ab aliquo signo coerceat nos et quasi religatos teneat." Est enim religio l. c., quod bene vidit Nitzschius, ipsum signum s. prodigium, quo numen ex veterum opinione a suscepto itinere prohibere voluit [25]. Illum tamen *horrorem*, qui aliquo prodigio animis incussus coërceret homines et quasi religatos teneret, etiam dictum esse religionem, testis est Justinus, qui Hist. XXII, 6. scripsit: „Sed terrebat eos portenti religio, quod navigantibus eis sol defecerat."

---

23) Respice huc ad dextram, Charine, nonne ex adverso vides?
Nubis ater imberque instat. Adspice nunc ad sinistram.
Coelum ut splendore est plenum ex adverso vides?

24) „*Religio* ist hier offenbar das Ehrfurcht gebietende *Omen* der herannahenden Gewitterwolke, welches Eutychus seinem das Weite suchenden Freunde entgegenhält und gleichsam in den Weg wirft. Charinus sagt ja nicht religionem *injecit*, sondern *objecit*. Sonst zweifelt freylich Niemand, dafs bei *religio* der Begriff der erregten Furcht und der Furchterregung oft vorzugsweise hervortrete."

25) Huc mihi pertinere etiam videntur *obstita* (= objecta, quae terrerent et arcerent) ap. Cic. de legg. II, 9.: „Fulgura atque obstita pianto."

Attamen de hac aliisque significationibus e primitiva ortis deinde videbimus.

Est igitur religio, vi vocis genuina, sive *actio* sive *res, qua vel homines vel dies vel aedificia aliave devinciuntur aliqua ratione, ita ut vel obstringantur et teneantur, vel addicantur et consecrentur, vel prohibeantur et impediantur.* Quemadmodum vero postulio et postulatio non solum *actionem postulandi* significant, sed etiam *rem postulatam*, v. c. sacrificium piaculare (§ 5.), ita etiam religio

2) significat saepissime *id, quod obstrictione, consecratione et interdictione aliave cohibitione effectum est.* Est enim religio,

a) si personis tribuitur,

α) *officium* (sicut obligatio) et, quatenus ei nondum est satisfactum, *debitum* ideoque etiam *culpa*, *piaculum*, uti nos dicimus *Verpflichtung* sensu activo et passivo de actione obligandi et de officiis ea injunctis atque de debitis. Ita Livius X, 40.: „Ceterum, inquit, qui auspicio adest, si quid falsi nuntiat, *in semet ipsum religionem recipit*"; cf. Cic. de N. D. II, 4.: „peccatum suum, quod celare posset, confiteri maluit, quam haerere in republica religionem", et Orat. Phil. I, 6. („inexpiabiles religiones in rempublicam inducere"). Et de his quoque sive officiis sive debitis ob nativam vocis vim recte potuit dici „*solvi, exsolvi religionem* et *religione*" (= Verbindlichkeiten lösen). Hinc etiam

β) *pietas* omnino sive, ut Cicero dixit, „*justitia erga Deos*" (Partitt. c. 22.), qua officiis suis satisfacere student, qui se obstrictos numini sentiunt, religio saepissime dicitur. Et haec quidem pietas variis modis manifestatur: *nunc* diligenti cura deorum, cultu et caerimonia omnique virtutum diis acceptarum genere, velut fide et veracitate (cf. Cic. de Invent. II, 22. de N. D. II, 42. pro Flacc. 4. pro Font. 6. et innum. all. ll.), *nunc* metu numinis laedendi vel cautione aliquid credendi, loquendi et agendi, quod contrarium sit pietati diis eorumque inter-

pretibus debitae, quem vocis usum frequentissimum esse constat [26]. Affinis nec minus frequens est is vocis usus, quo dicitur de *scrupulo* animo injecto, de *suspicione* et *metu*, ne officia in numen aliqua re violata sint. Ita Cicero de N. D. II, 4. narrat, „Gracchum, quum comitia nihilominus peregisset *remque illam in religionem populo venisse* sentiret, ad senatum retulisse“ —, et Livius, „Jovis, inquit, solisque equis aequiparari dictatorem in religionem etiam trahebant“ l. V, 23. cll. 31. et VIII, 17.: „*religio* deinde *incessit*, vitio eos creatos esse“, et quae sunt alia. Quare idem (XXI, 62.) narrat, „*motis* aliquando *in religionem animis*“ urbem hostiis majoribus caesis aliisque sacris, quibus procurandis prope tota civitas operata sit, lustratam fuisse et „haec procurata votaque ex libris Sibyllinis magna ex parte *levavisse religione animos*.“ Factum est itaque, ut *religio*, si nimia fuit et in eam diligentiam, quae nodum in scirpo quaerit (Terent. Andr. V, 4, 37 sq.), vel in meticulosam scrupulositatem abiit, etiam cum *superstitione* permutata et *religiosi* nonnunquam vocati sint, qui superstitiosi fuerunt, v. c. Liv. XXIV, 10.: „Prodigia eo anno multa nuntiata sunt. Quae quo magis credebant simplices ac religiosi homines, eo plura nuntiabantur.“ Huc etiam referre solent Terent. Heaut. IV, 1, 37. — Denique sensu objectivo, quem dicunt, vox usurpatur subinde

γ) de *sanctitate* sive dignitate et majestate e consecratione orta. Ita dicitur „religio et sanctimonia Deorum“

---

26) Neque eam solum diligentiam, quae officiis et pietati erga numen satisfacere studet vel facere horret, quicquid voluntati divinae adversatur, sed omnem etiam diligentiam subinde vocarunt religionem, v. c. eam, quae est in observandis legibus oratoriis et grammaticis, uti Cicero in Orat. c. 8.: „Atheniensium semper fuit prudens sincerumque judicium, nihil ut possent, nisi incorruptum audire et elegans, *quorum religioni quum serviret orator*, nullum verbum insolens, nullum odiosum [al. otiosum] ponere audebat“ cf. c. 9., ubi propterea „Atheniensium aures teretes et religiosae“ vocantur, cll. Brut. c. 82., ubi Calvi „orationem nimia religione attenuatam“ vocavit, propterea quod „metuens, ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat.“

(Cic. pro Rab. perd. c. 10.) et „religio in sacerdotibus“ (Liv. II, 40.).

Et haec quidem religio, sive sit officium vel debitum, sive cura vel metus numinis, sive dignitas singularis, tribuitur *personis*. Est vero

b) etiam religio *rerum* i. e.

α) *sanctitas* consecratione s. dedicatione effecta. Ita loquuntur de religione loci, templi, fani, aedium (v. c. Liv. XLIV, 29. Virg. Aen. VIII, 249.) et Plinius „hominis genibus, inquit, quaedam et religio inest, observatione gentium. Haec supplices attingunt, ad haec manus tendunt, haec ut aras adorant —. Inest et aliis partibus quaedam religio: sicut dextra osculis aversa appetitur, in fide porrigitur. Antiquis Graeciae in supplicando mentum attingere mos erat“ (Nat. Histor. XI, 103.). Et, ut Cicero pro Rosc. Amer. c. 24. dicit: „magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis —“, idemque cum aliis, simili significatus diverticulo, de religione officii, testimonii, jurisjurandi — loquitur. Neque mirum erit,

β) etiam *sacra*, *ritus*, *caeremonias* vocari religiones. *Publicae* enim *religiones* apud Liv. V, 52. sunt sacra solennia, quibus faciundis totus populus obstrictus fuit, cf. c. 50 sq. VI, 41. XXII, 9. et III, 57. tradit, „cultas fuisse religiones pie magis, quam magnifice“ cll. VII, 3., ubi „solenne clavi figendi“ *religio* dicitur, quemadmodum XXV, 12.: „*nova religio*“ est novus isque externus sacra faciendi ritus cf. c. 1.

Quo factum est, ut *religio* etiam universe dicta sit non solum *ratio* s. *necessitudo deos inter hominesque intercedens* (cf. § 1. et 8. in.), sed etiam

c) *ratio sacrorum faciendorum omnisque, quae ad ea spectat, doctrina et disciplina*; cf. Liv. X, 38.: „Ibi ex libro vetere linteo lecto sacrificatum, sacerdote Ovio Pactio quodam, homine magno natu, qui se id sacrum petere affirmabat ex *vetusta Samnitium religione*,

qua quondam usi majores eorum fuissent, quum adimendae Etruscis Capuae clandestinum cepissent consilium.“ Et Cicero de N. D. II, 4. id agens, ut „augurum Romanorum et Etruscorum haruspicum disciplinam re ipsa probatam artemque divinam“ esse demonstret, narrat, consules, ex haruspicum responso, quod Gracchus repudiatum prius ipse deinde confirmaverat, vitio creatos, maluisse „summum imperium statim deponere, quam id tenere punctum temporis *contra religionem*“ cf. etiam ll. § sq. alleg.

Ita mihi probasse videor, vocem religionis non solum salvis artis grammaticae legibus a *religando* posse derivari, sed hanc originationem etiam usu vocis ab antiquissimis inde temporibus maxime probari et e nativa notione devinctionis omnes, quaecunque sint, nominis significationes earumque diverticula (ut Gellius dicit IV, 9.) optime et sine omni vi repeti posse, id quod nescio an ii aeque facile possint, quibus Ciceronis notatio placet, quamquam, quod jam diximus, non negamus, eam quoque non pugnare cum legibus etymologicis et ab usu etiam aliquam habere commendationem, non tamen tantam, quantam sententia Lactantii, quam post Hieronymum (in Amos. c. 9.), Augustinum (Retractatt. I, 13. de vera rel. c. 41. et 55.), qui tamen non omni loco sibi constitit, et Isidorum (Origg. VIII, 2.) aliosque etiam clarissimo Lindemanno probatam esse video in Commentariis ad Pauli Diaconi Excerpta ex ll. Pomp. Festi de significatione verborum p. 548.

§ 9.

Veram autem religionem non Romani solum, sed Graeci quoque aliique populi, si a philosophis nonnullis, qui de natura deorum rerumque omnium principiis subtilius quaesiverunt, quosque theologos physicos vocarunt, discesseris, *eam* habuerunt, *quae a majoribus*, qui proxime ad deos accessisse putati sunt (Cic. de legg. II, 11.), *accepta legibusque et moribus patriis sancita et descripta esset.* Cernebatur igitur illarum gentium pietas *in iis numinibus colendis sacrisque faciundis, quae antiquitus agnita vel*

postea extrinsecus rite adscita erant, quibus ideo cives obstricti tenebantur.

Et ipse quidem Numa, qui urbem novam, vi et armis conditam, jure legibusque ac moribus de integro condidit, divino, ut credebatur, monitu, quae acceptissima diis essent, sacra instituit sacerdotesque suos cuique deorum praefecit et Pontificem ex patribus legit *eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit*, quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent —. *Cetera quoque omnia publica privataque sacra Pontificis scitis subjecit*, ut esset, quo consultum plebs veniret; *ne quid divini juris, negligendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo, turbaretur* (Liv. I, 19. 20.). — Quare, ut alia exempla multa praeteream, quum bello Punico „religio magna ex parte externa“ civitatem incessisset, ita ut aut homines aut dii repente alii viderentur esse, nec jam in secreto modo atque intra parietes abolerentur Romani ritus, sed in publico etiam ac foro Capitolioque mulierum turba esset nec sacrificantium nec precantium Deos „patrio more“, captis hominum mentibus per sacrificulos ac vates: primo secretae bonorum indignationes exaudiebantur, deinde ad Patres etiam et ad publicam querimoniam res excessit, denique vero praetori urbis negotium a senatu datum est, ut his religionibus populum liberaret. Is autem in concione senatus consultum recitavit et edixit: „*ut, quicunque libros vaticinos precationesve aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes literasque ad se ante Calendas Apriles deferret, neu quis, in publico sacrove loco, novo aut externo ritu sacrificaret.*“ Ita Livius XXV, 1. cll. XXXIX, 8 sqq. inpr. 15. et 16., ubi praeter alia lectu satis digna Consulem haec ad populum dixisse refert: „Nihil in speciem fallacius est, quam *prava religio.* Ubi deorum numen praetenditur sceleribus, subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini juris aliquid immixtum violemus. Hac vos religione innumerabilia decreta pontificum, senatus consulta, haruspicum denique responsa liberant. Quoties hoc patrum avorumque aetate negotium est magistratibus datum, *ut sacra externa fieri vetarent, sacrificulos vatesque fore circo, urbe prohi-*

berent, vaticinos libros conquirerent comburerentque, omnem disciplinam sacrificandi, praeterquam more Romano, abolerent? Judicabant enim prudentissimi viri omnis divini humanique juris, nihil aeque dissolvendae religionis esse, quam ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur.“

His congruae sunt, quas Cicero, ut ipse dixit de legg. II, 10., ex more majorum scripsit[27], leges l. l. c. 8.: „*Separatim nemo habessit deos, neve novos sive advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto.* Constructa a patribus delubra in urbibus habento, lucos in agris habento et Larum sedes. *Ritus familiae patrumque servanto.* Divos et eos, qui coelestes semper habiti, colunto — —. *Ex patriis ritibus optuma colunto.*“ Harum legum cum rationes alias tum hanc c. 10. addidit: „suos deos, aut novos aut alienigenas, coli confusionem habet religionum et ignotas caerimonias [nostris] sacerdotibus.“

Et ita quoque Maecenas apud Dionem Cassium (Hist. Rom. LII, 36.) auctor est Augusto, ut et ipse numen secundum mores patrios colat et alios colere jubeat omnesque, qui res sacras novare velint, et horreat et puniat: *ὥστ' εἴπερ ἀθάνατος ὄντως ἐπιθυμεῖς γενέσθαι, ταῦτά τε οὕτω πράττε, καὶ προσέτι τὸ μὲν θεῖον πάντη πάντως αὐτός τε σέβου, κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε· τοὺς δὲ δὴ ξενίζοντάς τι περὶ αὐτὸ καὶ*

---

27) Attici enim ori haec verba indidit: „Conclusa quidem est a te tam magna lex sane quam brevi, et, ut mihi quidem videtur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae nostrisque moribus.“ Cui, paucis interjectis, respondet, nullas leges se rogaturum ad religionem pertinentes, „quae non sint in more majorum, qui tum ut lex valuerit,“ cll. c. sq.: „Neque ea, quae a majoribus prodita est cum dominis tum famulis, posita in fundi villaeque conspectu, religio Larum repudianda est. Jam ritus familiae patrumque servare i. e., quoniam antiquitas proxime accedit ad deos, a diis quasi traditam religionem tueri“. Itaque c. 12. instituta Numae posteriorum pontificum quorundam negligentia dissoluta esse vituperat nec quicquam ex institutis pontificum et haruspicum temere vult mutari.

μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνων τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας οὐδ' ἄλλου ἂν τινος προτιμήσειεν, ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες, πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν κ. τ. ἑ. Eodem argumento ab antiquitate probataque utilitate repetito patriam religionem tuiti sunt multi imperatores eorumque praefecti et legati contra Christianos, id quod probavit Cornelius van Bynkershoek diss. l. *de cultu religionis peregrinae apud veteres Romanos*, v. c. p. 354., ubi agit de constitutione Diocletiani et Maximiniani anno fere 298. vel 299. edita, eademque ratione usus est etiam Symmachus (L. X. ep. 54.): „*si longa*, inquit, *aetas auctoritatem religionis faciat, servanda est tot saeculis fides et sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos.*"

Neque alia religionis verae notio valuit apud reliquas gentes Italiae, v. c. apud Etruscos et Samnites, eademque probata fuit etiam Graecis. Etenim jam Draco, antiquissimus Atheniensium legislator, lege cavisse dicitur, ne in partibus cultus divini peragendis ritus patrii negligerentur. Quam legem Porphyrius laudat de abstin. c. 4.: *Ἐπὶ καὶ*, inquit, *Δράκοντος νόμος μνημονεύεται τοιοῦτος· Θέσμος αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον, θεοὺς τιμᾷν καὶ ἥρωας ἐγχωρίους ἐν κοινῷ ἑμποινίμοις νόμοις πατρίοις, ἰδίᾳ κατὰ δύναμιν, σὺν εὐφημίᾳ καὶ ἀπάρχαις καρπῶν πελανοὺς ἐπετείους.* Ita etiam Demosthenes in orat. in Neaeram p. 175 sqq. (ed. Tauchn.), ubi de sacrorum principiis agit, veram pietatem esse et habitam semper fuisse innuit *πράσσειν τὰ πάτρια τὰ πρὸς τοὺς θεούς, θύεσθαι κατὰ τὰ πάτρια* et quae sunt reliqua. Isocrates laudat majores, qui *τὰ περὶ τοὺς θεοὺς οὐκ ἀνωμάλως, οὐδὲ ἀτάκτως οὔτε ἐθεράπευον οὔτε ὠργίαζον —, ἀλλ' ἐκεῖνο μόνον ἐτήρουν, ὅπως μηδὲν μήτε τῶν πατρίων καταλύσωσι, μήτ' ἔξω τῶν νομιζομένων προσθήσωσιν. Οὐ γὰρ ἐν ταῖς πολυτελείαις ἐνόμιζον εἶναι τὴν εὐσέβειαν, ἀλλ' ἐν τῷ μηδὲν κινεῖν ὧν αὐτοῖς οἱ πρόγονοι παρέδοσαν*, v. Areopagit. p. 213. ed. Wolf. (Basil. 1570. fol.) cf. Orat. ad Nicoclem p. 25.

Epictetus quoque in Enchiridii sui c. 38. σπένδειν δὲ, inquit, καὶ θύειν καὶ ἀπάρχεσθαι κατὰ τὰ πάτρια ἑκάστοις προσήκει καθαρῶς καὶ μὴ ἐπισεσυρμένως, μηδὲ ἀμελῶς, μηδὲ γλίχρως, μηδὲ ὑπὲρ δύναμιν.

Quo factum est, ut Socrates sua studia opiniones inveteratas emendandi mortifero poculo expiaverit, impietatis (ἀσεβείας) accusatus et damnatus, quum patrios deos haud agnoscere novosque introducere videretur Atheniensibus. Nam hanc ipsi Melito auctore scriptam esse dicam Diogenes Laertius tradit: Ἀδικεῖ Σωκράτης οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος, ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων (de vitis Philos. l. II. vita Socr.). Ipse quoque Plato religionem noluit singulorum arbitrio relinquere, ita ut cuivis liceret deos et sacra contra legem mutare (θεοπολεῖν παρὰ νόμον), cf. de legg. X. p. 117. ed. Bipont.

Sed jam satis esto de religionis notione et recta indole ex sententia Veterum.

Si qui sint, qui de aliis sententiis hoc tempore controversis disputare malint, iis proponuntur hae theses.

---

1. Qui scripturae sacrae sufficientiam, quam dicunt, sive materialem sive formalem, negat, is cum superstitioni tum opinandi licentiae latam viam in ecclesiam sternit.
2. Idem facit, qui, quum Domini auctoritatem se agnoscere profitetur, Apostolis eam, quam Christus ipse habuit (Luc. X, 16. aliisque ll.), fidem abrogandam censet.
3. Qui divinam Christi naturam negat, humana quoque dignitate eum exuit.
4. Arius monotheismi puritatem, quam tueri voluit, re vera sustulit.
5. Rationes, quibus doctrinam biblicam de angelis lapsis eorumque indole et studiis impugnare solent, valent etiam ad impugnandam existentiam et operationem malorum hominum.
6. Qui cum Pelagio hominibus vires integras et ad colendam virtutem Deo probatam idoneas tribuit, Christum servatorem generis humani esse negat (cf. Luc. V, 31. 32.).
7. Qui salutem humanam ex operibus hominum neque ex sola Dei gratia, per Christum parta et manifestata, quae non nisi vera fide accipi possit, suspensam esse docet, ipsum tollit evangelium.
8. Doctrina de mortuorum resurrectione a doctrina de animorum immortalitate vitaque beata non potest, salva Christiana fide, separari.